

36-878 av

15<sup>a</sup>

J. Miguel Galindo

Viernes a las tres.



**D**onacion hecha á la Biblioteca de la  
Universidad Literaria de Zaragoza por  
*Doña Rosa Berné y Cebrian*, de la Li-  
brería de sus Sres. hermanos el Abogado  
D. Pedro y el Dr. y Catedrático de Leyes  
D. Manuel, en 1837.



22824

JURIDICA PLACITA,  
QUAE AD ILLUSTRATIONEM  
*Tit. XXIV. Lib. III. Instit. Imperial.  
de Emptione, & Venditione.*

A D. JOACHIMO PEREZ J. C. B.

ELABORATA,

PROPUGNABAT

D. PETRUS JOSEPHUS MEDRANO,

ET SAMANIEGO J. C. S.

IN CAESAR-AUGUSTANA ACADEMIA

A. DIEM XV APRILIS ANNO CIOIIOCCLXXIV.



SUPERIORUM PERMISSU.

CAESAR-AUGUSTAE: In Typographia FRANCISCI MORENO;  
Universitatis Typographi.



JURIDICA PLACITA

QUAE AD ILLUSTRATIONEM

ART. XXIX. LIB. III. INSTIT. IMPERIALIUM

DE EMPHIT. ET VENTILIONUM

A. D. JOACHIMO FERREZ J. C. B.

ELABORATA

PROBANTUR

D. PETRUS JOSEPHUS MEDRANO

ET SAMANIEGO J. C. S.

IN CAESAR. AUGUSTANA ACADEMIA

A. D. MDCCCXXXV. APRILIS ADI. MDCCCXXXV.



SUPERIORUM PERMISSU

Caes. Augustanae in Typographia Universitatis Caes. Augustanae  
Universitatis Typographia



D. D. HEMETERIO , ET CE-  
ledonio natura fratribus , pietate  
confortibus , Christianae fidei in-  
clitis martyribus , Calagurritanae  
Urbis auspiciibus , ac patronis.



*Uamquam iis , qui humanae  
laudis auram captaturi stu-  
dia sua in lucem publicam  
propellunt , nihil usitatus  
sit , quam illorum , quorum rebus suis  
desiderant opem , exquirere patrocini-  
um seu ambire magna , seu promittere  
aetate imparem erga VOS INCLITI MAR-  
TYRES , velut ab ipsa natura indita pie-  
tas , quae Calagurritanum quemque ma-  
ximè decet , non nisi ex VESTRO NOMINE  
martyrii laurea claro auspicium sinit ex-  
orare. Felici fato nobilissimam Cala-  
gurritanam Urbem gentile solum sortitus ,  
nec mihi , nec patriae satisfacturum exis-*

A 2

tima-



timavi, nisi me, studiaque mea sub VESTRUM iuvamen conferrem. Movet me patrius amor, avita pietas suadet, VESTRI nominis decus, virtutis gloria, fidei inclitum robur trahit. Natura dum Centurionis Martyris vos genuit filios, martyrium, ac triumphos paravit: congenita virtus parentis nobile exemplar impullit sectari. Caesari pro terris bellanti adfuitis officio vestro pro dignitate functi; ab eo tamen Christianam expugnante fidem, usque ad aras amici, secessionem ad Christum fecistis. Romanis castris derelictis, Christianaeque fidei dato nomine, hanc totis viribus suscepistis reparandam non minus fidelium turpi defectu, quam gentilium immani saevitia corrudentem. Christi sectatoribus signum extulistis ad victoriam, Romanis ad ruinam; & dum hi tumentes comminantur, VESTRA virtus contemnit minas majora expectans certami-



tamina. Itaque nec blanditiis simulatus  
amor Vos allicit, nec vinculis onustum  
corpus crepat spiritum, nec effrenata Ty-  
ranni rabies supernum robur infringit,  
nec tormentorum parata copia à propo-  
sito Deum colendi, praedicandique valet  
dimovere. Pudit tandem Tyrannum vin-  
ci nescium duorum virorum fortitudini  
subcumbere: vita privare jubet, quos  
victoriae gloria nequit exuere. Vos au-  
tem strenui Christi milites, mactare Deo  
generosi spiritus hostiam inbiantes, prae-  
missis in coelum anulo, & orario, atque  
ultra lictoris stupentis ictui oblato capite,  
& VOBIS, & patriae nostrae immorta-  
le decus peperistis. Trunca per arenam  
sternuntur corpora, sancto tepet terra sa-  
crata sanguine; invicti Martyres victri-  
cem urbem morte dicant corporum suo-  
rum aeternum monumentum. Nostra Ci-  
vitas, quorum gloriosum viderat certa-



men, sectatur post mortem fidem, &  
exemplar; Christi milites in suum vocat  
auspiciam, ne unquam urbi bellicae mili-  
tare deesset praesidium; coelitus emisso dono  
dives valdius gloriatur effusso sanguine,  
quam fuffis adversariorum exercitibus.  
; Quidni, & ego communis voti particeps ad  
vos confugiam? tenuis conor grandia, im-  
maturi forsan laboris tenellos fructus offe-  
ro; ; vestro tamen munitus nomine quid  
timeam? Utut spero, & laboribus meis  
secundum omen fore vestrum praeferre  
nomen, & vos aequi bonique consultum  
ire, me illos tanquam grati animi munus-  
culum virtuti vestrae devovisse.

D. D. C. nominis vestri humilli-  
mus cultor

D. Petrus Josephus Medrano  
& Samaniego.

§. I.





## §. I.



Talem non modo, verum & necessariam eorum contractuum esse notitiam, qui in usu hominum potissimum versantur, nemo est, qui non videat; itaque cum contractus venditionis ad usum humanum maxime spectet, omniumque necessitatum sit commune subsidium, utilem nos operam navaturos existimavimus, si tractationi ejus studium nostrum conferremus. (a) Id ergo laboris nostri argumentum, in quo utile dulci miscuimus, ut ab origine repetamus, ex jure gentium, humana exposcente penuria, exordium accepisse praemittendum duximus. Postquam enim homines ab illa rerum omnium communione, quam inter eos natura inscia divisionis constituerat, discessere, atque ex rebus communibus, & indivisis adsumendi cuique, quod vellet, potestas sublata est rerum partito dominio, paulatim decrescere coepit ille fraternitatis, & amicitiae amor suadens, ea quibus abundaret quisque, ex sola humanitate, & beneficentia indigis elargiri, id secum ferente effrenata divitiarum cupiditate. Quapropter usus, & humana necessitas exigebant, ut huic malo aliquo subveniretur remedio. Cumque mortales ipsa ducente natura ad ea, quae communem utilitatem pariunt, proni sint, novum commercii genus, quo res necessariae non ex sola humanitate, sed aliquo repensio communi carentur, invenerunt extemplo. (b) Hoc com-

A 4

mer-

(a) Huc pertinet illud Aristippi, qui percontanti, quae potissimum adolescentibus essent discenda, respondit, quae viris usui futura. Diog. Laert. in Aristippo.

(b) Ita ex Seneca tradit Heineccius: Illa, bona, in regiones descripta sunt, ut necessarium mortalibus esset inter ipsos



mercium initio tantum vice rerum, seu rei unius cum alia permutatione exercebatur. (c) Cum vero ejus instituendi scopus is profecto esset, ut egentes ex aliorum adparatu, & copia sibi compararent necessaria aliquo vicissim dato, quo rei praestitae defectum quodammodo aequaret; ac saepe saepius contingeret, ut alteri non superesset, quod deesset alteri, aut rerum, quas vellent permutare, ea esset inaequalitas, ut non sine gravi damno possent mutuo praestari, & res permutandae ejus essent molis, ponderis, ac magnitudinis, ut longius eas perducere incommodum, quin & periculosum custodire videretur; omnium votis satisfieri non posse, compertum est, nisi electa materia, cujus publica, ac perpetua aestimatio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis subveniret. (d) Hanc materiam ex pretiosioribus metallis, quibus & splendor inesset, & apprime constans natura, elegerunt, ut ex illis cussis nummus (e) fieret, eiusque inventionione commune desiderium optatum effectum fortiretur. Politiores gentes id tanquam divinitus elapsum inventum amplexae sunt, cussumque metallum nummum, seu monetam dixerunt. Huic materiae, quo expeditius esset apud omnes gentes commercium, eum indidere valorem, (f) qui metallo rudi

commercium, si invicem alius ab alio aliquid peteret. *J. N. G. lib. I. cap. 13. §. 325.*

(c) *L. 1. ff. de Cont. empr.*

(d) Nammi usus in eo versatur, ut cum re permutatus, aequitate quantitatis tantum praestet venditori emptor, quantum ipse venditor emptori tradidit: aequalitate quantitatis id perficitur, non tam ex substantia quam ex quantitate. *Gothof. ad Leg. 1. de Cont. emp.*

(e) *Eum definit Aristoteles; communem mensuram, ad quam omnia referuntur, quaque mensurantur omnia. Ad Nicom. 9. 1.*

(f) *Nummo duplicem valorem adstruunt D. D. internum à materia ipsius dimanantem, quo & informe metallum gaudet; externum, seu impositivum, quem habet ex hominum instituto, publicaeque auctoritate, qui quamquam imperantium arbitrio nummo injungatur, in bene constituta rep. materiae intraneae aestimationi debet respondere. Vinnius, in §. initiali ad tit. 15. Lib. 39. Comment.*



9  
di quodammodo responderet. Nonnullae quidem aliis atque aliis rebus, conchis, baccis, granis, massisque etiam ad modum suum formatis vice nummi usae fuerunt, aut metallorum egenae, aut aeconomicae hujus inventionis ignarae: sed haec quamvis à re nostra non aliena, innuere sat est. Inventi nummi gloriam antiqui scriptores diversis & temporibus, & personis tribuere. Quidquid tamen illi dixerint, de quo non laboramus, antiquissimum esse nummi usum, constat: dissertam enim ejus mentionem facit Moses Gen. cap. 23. v. 16., & cap. 42. v. 27. cum aliquot sequentibus. (g) Haec de origine, atque inventionem nummi praemittenda duximus, (h) eo enim invento locum habere coepit emptio venditio omnium ferè contractuum praecipuus, cujusque usus cum communis esset moratoribus gentibus, apud Romanos maxime viguit.

§. II.

**E**Mptio, & venditio, utrumque enim nomen hic contractus ex usu veterum promiscuè fortitur, (i) est *contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda*. Eam esse contractum juris gentium, nominatum, bonae fidei, non est cur dicamus, cum id omnibus contractibus

A 5

con-

---


(g) *Omniem hac de re eximit scrupulum. d. c. ibi: Adpendit pecuniam, Abraham, quam Ephron postulaverat audientibus filiis Heth quadringentos siclos argenti probatae monetae publicae: idemque habetur d. cap. 42. v. 27. Quare immerito Phaedo Eleus primus nummi auctor praedicaretur, quamvis eum induxerit Graeciam, Moysi tempore, ut scientiarum, ita & politicioris hujus inventionis penuria laborantem.*

(h) *Præ oculis habentes illud Cai consilium: inconveniens erit, omisis initiis, atque origine non repetita, atque illotis, ut ita dixerim, manibus, protinus materiam interpretationis tractare. L. I. ff. de Orig. jur.*

(i) *Haud tamen credas, veteres emptionem, & venditionem permiscuisse, ut ejusdem contractus partes indistinctas putarent; quamvis id immerito ex l. 19. ff. de Act. emp. probare conetur Vultejus, sed ob earum connexionem unius adpellatione integrum contractum significarent.*



consensualibus, quorum est numero venditio est, commune sit. Emptionis ergo substantia in re, quae & *merx* dicitur, ac pretio veluti cardinibus vertitur, exigens circa ea consensum, ut contractus reddatur perfectus, obligationemque pariat. Versatur emptio venditio circa res omnes, quas habere possumus, vel possidere, tum corporales, cum incorporales, non tantum mobiles, sed & soli. Quia vero is emptionis finis est, ut res vendita in emptorem transferatur; quae extra commercium sunt, ut res sacrae, publicae, & liber homo (k) in venditionem venire non posse, constat; sed quia haec vel à sciente, vel ab ignorante vendi, aut emi quamvis perperam possunt, caute hac de re agendum est: etenim si res commercio exempta à venditore sciente obrudatur emptori, qui ejus conditionem ignorat, venditio contrahitur, non eo sane effectu ut res ipsa debeatur, petive possit; (l) sed ut dolosus venditor actione empti in interesse veniat condemnandus: aut si uterque sciens contraxerit, emptio nullius momenti est: denique si emptor conscius qualitatis rei emerit ab ignorante, nec pretium condici posse arbitramur. Quin ea, quae natura sua, & simpliciter extra commercium sunt, nec in eum casum, quo mutant conditionem, vendi queunt. (m) Res natura impossibiles, quaeve extare desierunt, ut homo mortuus, vel exusta domus, aequè respuit emptio: quae verò adhuc non extant, futura tamen sperantur, ut nascituri fructus, quodque ex ancillis, vel ovibus editum fuerit, nec non quae à fortis eventu pendent, ut captura piscium, avium, vel ferarum, & aleae lucrum, ita vendi possunt, ut quidquid ex his causis obvenerit, emptori cedat, & si longe pretium exsuperet: si secus evenerit, emptoris quoque erit incommodum, cum spei solum sit emptor.



## §. III.

(k) L. 34. §. 1. h. r. L. 80. §. ult. eod.

(l) Confer Modest. l. 62. §. 1. h. r.

(m) L. 34. §. 2. h. r.



**A**lia sunt, quibus natura non obest quominus veniant, jure tamen prohibente desinunt esse venalia, cum impossibilibus comparentur. (n) Caveant ergo contrahentes à venditione domus in eum finem ineunda, ut destruat, quin alia in ejus locum sufficiatur, ne ruinis aspectum publicum deforment contra SCtum, (o) neve venena vendant, nisi adjectione alterius materiae fieri possint salutaria; (p) neve rem litigiosam, (q) neve in crimen stellionatus incidant rem alii datam, aut obligatam vendentes priori dissimulata obligatione; (r) si quis tamen rem alienam vendiderit, venditio stabit, manebitque obstrictus evictionis nomine. (s) Econverso rem suam frustra quis emet, cum haec amplius ejus fieri non possit; rei verò communis alteram partem cum acquirere possit, emere non prohibetur. Sed cum nonnullae res sint, quae non simpliciter, sed quarundam tantum personarum eximuntur commercio, frustra iis vendentur, quibus eas possidendi sublata facultas: hinc nec mancipium Christianum Judaeo, nec provinciale praedium Praefidi, nec praedia Ecclesias habentia haereticis venduntur; (t) quin ne jurisdictionis mercatura fiat, officia, quibus ea inest, inutiliter venduntur. (u) Priusquam hinc abeamus, antiquitatum studiosis gratum opus facturos ex-

A 6

isti-

(n) Bene, & pie Papin.: Quae facta laedant pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & generalitèr, quae contra bonos mores fiunt, ea nec facere nos posse credendum est. L. 15. de cond. inst.

(o) Nos illud intelligimus, quod. Q. Volusto Saturnino, & P. Cornelio Scipione Coss. latum est anno V. C. 808., cujus verba laudantur, l. 52. ff. de cont. empr.

(p) L. 35. §. 2. ib.

(q) L. 2. C. de litigiosis.

(r) L. 3. ff. Stellionatus.

(s) L. 28. D. h. r.

(t) L. 10. C. de Haeret.

(u) LL. 7. & 8. tit. 2. lib. 7. recop.



istimamus, si eorum, quorum usus jam excidit, memoriam excidere non patiamur. Romani itaque rituum legitimorum amatores res, quoad emptionem adinet, in mancipi, & nec mancipi diviserunt. Mancipi dicebant res pretiosiores, majoremque domino adferentes utilitatem, ut filios, servos, praedia italica, aliaque hujusmodi; caeteras res nec mancipi adpellabant. In illarum venditione scrupulosas quasdam solemnitates, legitimosque ritus religiosè observabant, eam non nisi per imaginarias, repetitasque mancipationes celebrantes. Haec tamen Justiniani tempore omnino abierant ex usu: si latiore desideras notitiam, *consultere licet in palestra,*

## §. IV.

**A**lterum, quod emptionem constituere diximus, pretium est, quod ita exigit emptionis substantia, ut nullo modo sine eo possit subsistere. Nulla ergo erit venditio ex hoc capite, si donationis causa ineatur, modo totum condonetur pretium, nam si viliori pretio res veneat ex liberalitate, constabit venditio, si hoc modo contractam inter virum, & uxorem ut inutilem excipias. (x) Pretium verò, ut perfecta censeatur venditio, certum erit, sin contra vitiabitur. Caeterum non illud tantum dicemus certum, cujus ab initio certa designetur quantitas ut centum aurei, verum etiam si ad rem certam relatio certum reddat, respectu loci, alteriusve cujuscumque quantitatis in contractu facto; qua quidem in specie, cum statim pretium in conventionem deductum certum sit, & venditio perfecta intelligetur ignorantibus etiam partibus, cum ea, quae per rerum naturam certa sunt, quamvis apud nos sint incerta, non morentur obligationem. (z) Porro si pretium ita constituatur, ut res justo pretio veneat,

(x) L. 38. ff. h. t. Hujus perspicua ratio, alioquin venditionis simulatione fraus fieret legi donationem inter virum, & uxorem vetanti. L. 5. §. 5. ff. de Don. int. vir. & ux.

(z) §. Pen. Inst. de V. O.



neat, in iis mercibus, quibus ad victum quotidianum utimur, validam censemus venditionem, cum in bene constituta rep. earum pretium magistratus soleant taxare; quod si publicè constitutum non sit, nihilominus venditio eo pretio facta, quo certo die in foro publico fungibilia vendantur, Gomezio probatur. (a) An vero quemadmodum justi pretii in rebus fungibilibus constantem tenorem esse diximus, ita & pretio in alterius arbitrium collato venditio constet, extra dubitationis aleam non est: veteres enim hac de re disensisse traditur, cum quidam omnino venditionem valere, quidam penitus non valere adferrent, alii vero mediam tenerent viam, si non cujusque indefinitè, sed certae personae arbitrium electum esset, pro venditione stantes. At Justinianus contentiones hujusmodi exorsus dubitationis causam de medio tulit, dum pretium in certam tantum personam conferri permittit, ulteriusque ad venditionis substantiam desideravit, ut pretium electus definiret; quod si aut noluerit, aut id non potuerit praestare, venditio nulla esset. (b) Verum enim vero cum arbitrii iudicio contrahentes electione sese subicere videantur, pretio ab eo definito debent stare, licet à vera rei aestimatione longè distet: ne tamen aperta arbitrii iniquitas cum alterius contrahentium injuria effectum sortiatur, iudicis erit manifestam iniquitatem corrigere, non ita ut laesum remedio aliquo restitutorio juvet, sed ex suo officio consulens bonae fidei, quam natura hujus contractus exigit, inaequalitatem tollat. Sed cum nihil à bona fide aberret magis, quam in alterutrius contrahentium libitum venditionis substantiam conferri, hujus naturae pugnare, pretii definitionem permittere alicui ex contrahentibus, religio nobis est, quamquam in iis, quae ad contractus substantiam non spectant, indulgentiores simus.

§. V.

(a) 2. Var. ref. 2. num. 2.

(b) L. ult. C. h. t.



**N**atura pretii quoad ipsos contrahentes cognita, nunc de ipsius substantia quoad se, dicamus; illud ergo in eo requirimus, ut in pecunia numerata consistat, de quo quidem mirè variabant J.Cti., Sabinianis, & Proculianis ex adverso stantibus; illi in quacumque re pretium aptum venditioni constituebant, adeoque rerum permutatione, quae vetustissima ipsis erat venditio, emptionem iniri credebant: his non nisi pecunia numerata interveniente emi, vendive posse persuasum erat; quorum sententia jam antea constitutionibus Divalibus probata majus accepit ex auctoritate Justiniani, quam ex argumentorum pondere fundamentum; cum nostra sententia permutatis invicem rebus, non ea sequantur absurda, quae Proculiani clamitant, ne contrahi venditio dicatur.

## S. VI.

**R**em, & pretium emptionis materiam consensus excipit ipsius forma: hic partium conventionem circa rem, & pretium includit. Ex quo pleno fluit alveo, errorem circa rei substantiam, pretiive quantitatem, consensum funditus perimere: quare si emere volentium Sejanum venditor, Cornelianum obtrudat, aut pro auro forte argentum, vel acerum pro vino veneant, nullus erit ipso jure contractus. (c) Cum vero consensus solo placito contrahentium stet, nec scriptura ad venditionem pertinet, nisi ex speciali conventionione: rectè & absentes poterunt per nuntium, litteras, aut procuratorem contrahere, utcumque enim declaretur consensus, perfectam reddit venditionem, vel nulla utrimque interveniente traditione. *Perfectam*, inquam, emptionis enim perfectionem à consummatione longè distare, planum est; hanc à rei traditione, pretiique numeratione, quae contrahentium scopus, desumit venditio. Caeterum ut

con-

---

(c) L. 15. de Jurisd. L. 2. ff. de Jud.



consensus animo initus manifestetur, majoremque habeat firmitatem simul, & probandi facilitatem, arrhae nomine nonnihil ex parte emptoris venditori dari in usu est; id vero aut simpliciter datur, ut symbolum sit negotii gesti, vel ut in partem pretii postea cedat: illic completa emptione arrha reddenda emptori, hic vero nihil repetitur, sed in pretium computatur, emptore venditori praestante, quod ulterius est in pretio constituto. Quoniam vero arrhae datio ipsum contractum haud constituit, sed tantum probationis ergo adhibetur, nec ejus interventu quamvis in pecunia numerata, desinit res integra esse, ut neque communi consensu venditio possit infirmari; nec in symbolum arrha data ita res integra aestimatur, ut liceat alteri invito etiam altero cum arrharum jactura à consummatione discedere: de quo mirum quantum à veritate distent DD. Nihilominus si arrhae datae fuerint ante venditionis perfectionem hujus juvanda causa, ut saepius evenit, tunc qui contractum perficere renuerit, si venditor ad arrharum restitutionem, praestationemque quanti eae fuerint tenebitur; emptori vero arrharum repetitio denegabitur. Quod autem dicimus, emptionem sine scriptura perfici, id intelligi oportet ex natura sua; quam ex jure gentium habet acceptam, namque ex placito partium aliam poterit induere, scripturamque ad suam perfectionem desiderare, (d) cum enim contractus ex voluntate contrahentium legem accipiant, (e) si inter eos convenerit de venditione in scriptis celebranda, dubium non est, quin eorum voluntati standum sit, nec perficietur venditio antequam in scripturam redacta, instrumentumque rite confectum, quod rem gestam demonstrat. Instrumentorum pro varietate conventionis differentias, & qualitates interroganti exhibebimus. In Aragonia rei movilis venditio absque scriptura perficitur, immobilis autem nisi publica scriptura confecta robur minime nanciscitur. (f)

s. VII.

(d) L. contractus 17. C. de Fid. instr.

(e) L. 7. §. 5. ff. de Pañis. L. 23. de Reg. jur.

(f) Port. V. Venditio num. 1. &amp; seq.





## §. VII.

**P**erfecta emptione utrinque obligatio oritur, & ex mutua contrahentium obligatione duplex actio; venditi, qua emptor ad pretium pro re vendita praestandum adstringitur; empti vero datur emptori, ut rem in venditionem deductam à venditore consequatur: inter utriusque tamen praestationes multum interest, nam emptor absicisè pretium venditoris facere tenetur, hic è conversò vacuum tantum rei possessionem tradere, quo sanè nulla injuria adficitur emptor; quem, ut cumque res evenerit factum tectum reddet venditor ex lege evictionis natura hujus contractus inducta. Hinc ei sufficit rem habere posse cum jure usucapiendi securus alioqui de pretio; at nummi venditoris plene non facti nec consummi poterunt, nec sine consumptione usum aliquem ei praestare. Haec quidem certa sunt; verum si venditori adsit potestas rem venditam tradendi emptori, ipse autem ad contractus completionem venire, mercemque tradere recuset, quid juris? quidquid alii interesse praestatione contractus perfectae obligationi satisfactum iri existiment, nos pro fide conventionis stantes, quam fallere grave est, (g) eum ad rei traditionem cogendum, quovis pignore contendimus.

## §. VIII.

**E**x perfectione emptionis cum jure ad rem venditam emptori quaesito in eum transit & periculum. Simul enim ac de re, & pretio conventum fuerit, cum venditor speciei debitor fiat, in commodo emptoris, qui creditor insimul est, res esse incipit. Sanè cum eadem ratio & commodi, & incommodi esse debeat, (h) non tantum rei venditae periculo ante traditionem emptor fit obnoxius, sed & commoda ad eum spectant: hinc fructus, servorum operas, ancillarum partus, quodve per  
allu-

(g) L. I. §. I. ff. de Const. pec.

(h) L. IO. de Reg. jur.



allubionem, aliove accessionis genere rei venditae adre-  
 verit, empti actione consequetur. Dein periculi incom-  
 modum culpa levis à venditore usque ad traditionem  
 exactae praestatione levatur, eam enim venditor in re  
 vendita diligentiam debet adponere, quam diligens, &  
 frugi paterfam. rebus suis solet adhibere: ergo si in-  
 curia ipsius res perierit, aut deterior fuerit facta, dam-  
 num ei incumbet, ne ejus negligentia emptori fiat dam-  
 nosa; necnon si moram fecerit in tradendo, aut praeter  
 naturam hujus contractus rei custodiam susceperit, om-  
 ne damnum etiam sine ejus culpa illatum subibit, novum  
 enim non est, ex contrahentium voluntate praestationes  
 variari, & saepe saepius ea praestari, quae alioqui ex  
 natura contractus haud deberentur. Hinc licet ex natura  
 hujus contractus venditor de evictione teneatur, libe-  
 rum emptori est commodo huic in ipsius favorem in-  
 ducto renunciare, idemque de caeteris pactis dictum es-  
 to, modo emptionis substantiae, aut bonis moribus non  
 repugnent, ut de pretio, aut dolo non praestando. Haec  
 quidem ita se habent in omni venditione, quae solo con-  
 sensu de re, ac pretio perficiatur; in rebus autem fun-  
 gibilibus non ita praemature perfecta existimanda ven-  
 ditio, diversus enim contrahendi modus diversam peri-  
 culi praestationem inducit. Itaque si ita venierint res  
 fungibiles, ut omne vinum e. c. uno pretio, seu per aver-  
 sionem vendatur, idem juris erit quod in aliarum rerum  
 venditionibus: si autem in singulas vini amphoras cer-  
 tum dicatur pretium, eatenus venditio habebitur perfec-  
 ta, quatenus fuerit admensum. Utrum autem vinum de-  
 gustatum perfectè veniisse dicatur ante admensionem, ut  
 periculum ad emptorem pertineat, non ita facile dissi-  
 idium est: qua in re putamus, sola vini degustatione  
 emptionem perfectam non intelligi, cum in singulas am-  
 phoras pretium statutum sit, tunc enim cum genus ven-  
 datur, venditor ex communi regula debitorum generis,  
 (i) si vinum perierit, adhuc tenebitur; ast periculum  
 qua-

---

(i) L. II. C. Si cert. per.



qualitatis ut acoris, & mucoris emptori impendet post degustationem, cum vinum degustatum improbare integrum ei non sit: in emptione per aversionem facta vini degustati periculum omnino pertinet ad emptorem.

## §. IX.

**H**Aenus de venditione purè contracta; sed cum omnium contractuum commune sit, ut non modo pure, sed & sub conditione iniri possint, & venditio potest conditionaliter contrahi. Ei autem prae caeteris contractibus addi solet haec conditio: *si res intra certum tempus emptori placuerit, erit empta centum aureis*, qua ratione emptione celebrata, licet in mercem, & pretium conventum fuerit, obligatio suspenditur, donec re ipsa adpareat, rem intra definitum tempus emptori placuisse. Ab hac conditione toto coelo distant absolutae illae & nullis circumscriptae finibus conditiones: *si placebit, quanti voles*, aliaeque similes, quae utpote contractus substantiam arbitrio emptoris permittentes vim omnem obligationis infringunt. Ea insuper lex emptioni adjici potest, ut purè contracta sub conditione dissolvatur, si quis emat pactus, ut rem intra certum tempus sibi displicentem reddere liceat, quin nec pactum perpetuae redditionis contra emptionis substantiam esse placet. Huc pertinet pactum illud in venditionibus usitatissimum de *retrovento*, estque *conventio de re vendita, ante, vel ad certum diem, vel quancumque pretio reddito, venditori, aut ejus haeredi restituenda*: quod quia libito, & contrahentium voluntate inducitur, retractus conventionalis nomen sibi vendicavit. (k) Est & aliud retractus genus, non à voluntate, aut pacto contrahentium, sed ab ipsa lege inductum, quo venditoris cognatis rem venditam extraneis redimere, sibi que eo exclusso habere conceditur, qui retractus ut à lege veniens *legitimus* dicitur. Hujusce usus antiquissimis etiam temporibus viguit; apud Hebraeos enim ab ipso Deo legem ferente inventum

repe-

(k) Apud nos Carta de gratia nuncupatur.



reperimus: (l) in Aragonia locus etiam est retractui legitimo, (m) permittiturque consanguineis ex qua parte res vendita advenit, intra annum, & diem à tempore contractus numerandum redimere; quod & jure hispano obtinet secundum leges regias intra novem dies. (n)

§. X.

**A**lia insuper pacta venditioni adjici solent, quae ut celeberrima propriam sibi in Pandectæ meruerunt tractationem, additio in diem, & lex commissoria: illius haec forma: *haec res tibi empta sit centum aureis, nisi intra duos menses proximos alius meliorem conditionem fecerit, quo res à domino abeat;* (o) melior autem conditio fieri intelligitur, si vel auctum pretium, vel solutio facilior, aut maturior offeratur, aut quid alioqui utilius venditori fiat. Caeterum & eo casu potius erit primi emptoris tantundem offerentis, cujus gratia venditor eum certiozem facere tenebitur de melioratione ab alio vera, non simulate facta. Additio in diem ex auctionibus publicis, ubi venditiones non statim perficiebantur, sed post triginta dies peractos, quo posset rei pretium augeri, originem accepit, paulatimque invalente usu ad privatorum venditiones traducta est. Lex commissoria est: *cum ita res venditur, ut nisi ad certum diem pretium solutum fuerit, res inempta sit.* Pactum hoc lex dicitur, quia conventiones leges sunt contractuum; com-

*scilicet*

*miss-*

(l) Cap. 25. Lev. v. 25. Apud eos tamen retractus, qui nobis conventionalis dicitur, erat legitimus; quinquagesimo enim quoque anno Jubilaei tempore legis praescripto, res omnes venditae ad eum, qui alienaverat, revertebantur v. 13. eodem. At ut verum fatear, venditio Hebraeorum locationis naturam reddebatur, rei enim venditae pretium pro tempore usque ad Jubilaeum reliquo pensabatur, v. 14. eod.

(m) Vernaculo sermone. De la faca, ò abolorio. For. 4. 5. eod. div.

(n) L. 13. tit. 10. l. 3. fuer. real, L. 7. tit. 11. lib. 5. recop.  
(o) L. 1. de Ad. in diem.



*missoria* vero, quia emptore ad statutum diem non solvente, res incidit in commissum. Non debet autem venditor emptorem interpellare, ut solvat, cum dies pro homine interpellat; quin & si iustas morae causas emptor alleget, audiendus est, ut probet. Praeter haec & alia adponi pacta emptioni possunt, ut quod Graecis dicitur *Protomiseos*, conventio nimirum de re iterum venali, venditori potissimum, ejusve posteris tantundem pretii, quod alii offerunt, solventibus vendenda; (p) pactum de eviçione non praestanda, de poena quadam à poenitente solvenda, aliaque id genus, quae in venditionibus mancipiorum potissimum versantur, ut ne eo loco morentur servi, quo venditori nocere possint, ut in alias regiones exportentur, ut post tempus manumittantur, ne prostituantur, ut huic, vel illi muneri destinentur, quae pacta ut bonis moribus, & pietati consona jure permittebantur inducuntur; illa vero quibus crudelitas, aut turpitudine insit, ut si quis servum vendiderit, quo bestiis obijceretur, ancillamve prostituendam, non minus à recta ratione, quam jure improbantur, (q) ne malitiis indulgeatur.

## §. XI.

**P**erfectus contractus consummandus venit & traditione rei, & pretii numeratione; cum enim is contrahentium sit finis, non nisi eo peracto emptio videtur completa. A venditione consummata nec quidem mutuo partium consensu licet discedere, quoniam res integra esse jam desit; quamquam si perfecta tantum fit, ab ea utpote solo stante consensu, voluntate contraria recedere possint contrahentes. Integram rem esse dicimus, cum nihil utrimque praestitum est; si vero obligatio, qua uterque tenetur, licet ex parte ad actum reducatur, nudi consensus fines contractus videtur excessisse. Quia etsi damnum aliquod alter contrahentium senserit ex venditione consummata,

(p) *Hein. in Pand. l. 18. r. 1. §. 266.*

(q) *Toro tit. de serv. exp.*



mata, huic stare debet, sive venditor multo minoris vero pretio rem tradiderit, sive emptor majus justo exsolverit. Haec quidem si spectemus strictam juris rationem: verum cum hic contractus exuberantem fidem desideret, acquisitissime statum est, ut venditio, in qua alteruter enormiter laesus sit, quamvis se ipsa firma, rescindi possit, eo, qui laesionem passus est vel ad supplementum, vel ad rescissionem contractus agente. (r) Cautè tamen distinguendum erit, an dolus contractui causam dederit, an incidit: si causam dederit, emptio, bona fide, qua potissimum nititur, ab initio deficiente, nullius erit momenti, ut & reliqui bonae fidei contractus; incidentem vero dolum adione ipsius contractus purgandum esse tenemus. Quae ita constare volumus, ut nec ipsi contrahentes mutuo possint dolo adquietescere; quare ut cumque dimidia justii pretii pars excedatur, laesus ad rescissionem poterit provocare; quamquam si intra summi, medii, aut infimi pretii steretur fines, quemque sibi consulere, melioremque suam conditionem pro viribus facere posse, praecunte D. Thoma haud ambigimus. (s) Jure hispano venditio dolo malo facta, ex qua alter contrahentium enormiter laedatur, rescindenda venit intra quadriennium, alias pretium supletur. (t) In Aragonia vero venditio utcumque manet, cum res tanti valeant quanti vendi possunt. (u)

## §. XII.

**H**is de rebus Aedilitium edictum de actione redhibitoria, & quanti minoris latum est. (x) Aediles enim Curules, ut omnem fraudem, & dolum a venditionibus mancipiorum, & jumentorum, quae captivibus maxime erant obnoxiae, penitus arcerent, edictum proposue-

(r) L. 2. C. de Resc. vend.

(s) 2. 2. quaest. 77. art. 1.

(t) L. 56. tit. 5. part. 5. L. 1. tit. 11. lib. 5. recop.

(u) Molinos, verb. deceptio.

(x) ff. tit. de aed. ed. cet.



fuissent, cujus primo capite cavebant; ut si quis servum emerit morbosum, noxae obnoxium, aliove corporis vicio laborantem, liceret ei illum redhibere venditori, qui ea vitia celaverit, cum emptorem servi conditionis gnarum empturum minimè fuisse, praesumatur; quod tamen de vitiis corporalibus cape, animi enim defectus, si fugitivum, aut erronem esse excipias, cum servum inutilem non reddant, actionem redhibitoriam non pariunt. (z) At si servum redhibere emptor nolit, ne damnatum injuria venditoris illatum cogatur subire, actione quanti minoris experietur, eaque pretium, quatenus veram rei aestimationem superet, restitui sibi impetrabit. Secundo edicti capite de jumentis cavebatur, ut venditorum eorum vitia morbosque proferre teneretur, eaque si cum ornamentis deducerentur vendenda, & ornata emptoribus tradere; ni ita fieret de jumentis ornamentorum nomine redhibendis emptor agere posset intra sexaginta dies; ob vitia vero, morbumve celatum actione redhibitoria, aut quanti minoris prout de servis diximus experiri. Tertium edicti caput extra rem est.

§. XIII.

Superest ut evictionis natura, quam vix innuit Justinianus in Inst. bona luce collocetur. Evictio est, rei nostrae, quam adversarius legitimo titulo adquisierat, per judicem recuperatio. (a) Quare ea obstat emptori, qui bona fide rem à non domino accepit. Cumque venditor accepto pretio ex bona fide emptorem securum reddere de re vendita debeat, ei & evictionis nomine ex natura ipsius contractus obligatur. Caeterum id ipsum in venditionibus exprimi solet simplae, aut duplae stipulatione interposita. Illa rei aestimationem praestitam, atque interesse consequitur emptor, (b) hac duplum pretii con-

(z) *Tota tit. de ped. edic.*

(a) *L. 24. ff. de evict.*

(b) *L. 60. & 70. eod.*



conventi. Stipulatio simplae contractui naturalis est ; duplae autem , quamvis extra ejus naturam , consuetudine tamen , atque edito aedilitio inducitur in venditione mancipiorum. Itaque si res emptori evincatur , vel actione ex empto pretium persolutum petet , vel ex stipulatu , si stipulationes intervenerint , modo culpa , negligentia , & dolus ejus absit. Quoniam verò , & ipse venditor , & haeredes ejus forsan rem venditam ab emptore extorquere evictionis titulo tentare queunt , adversus eos empti exceptio obstabit , cum heredes , successoresque iisdem vinculis , quibus auctores teneantur , eumque quem de evictione tenet actio , eundem multo magis agentem repellat exceptio. (c) Haec pro instituti mei ratione discutienda habui de emptione , & venditione : si quis studium meum in malam vertat partem aut petulantiae , aut imperitiae , non curo : (d) hercle non omnibus probandum esse scio ; muneri meo fungi , decorum sanè ; si res adverso eveniat Marte , castigari , non turpe , cum prae justis abundant iniqui rerum aestimatores.

## F I N I S.

(c) L. 17. ff. de Evic.

(d) Cicero. 1. de ora. ignavia à studiosis propulsandae gratia  
 Haec habet : pergite , ut facitis adolescentes , atque in id studium , in quo estis incumbite , ut & vobis honori , & amicis utilitati , & reip. emolumento esse possitis.





33

FINIS

(1) ...  
 (2) ...  
 (3) ...  
 (4) ...  
 (5) ...  
 (6) ...  
 (7) ...  
 (8) ...  
 (9) ...  
 (10) ...





